



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioan. Crombecii Societatis Iesv Presbyteri De Studio Perfectionis Libri Dvo

Crombecius, Johannes

Mogvntiæ, 1614

XI. Valetudinem corporis, animique sanitatem, magno præsidio esse studioso Perfectionis. Quid Temperamentum, & eius partes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51132)

neri possunt. Iuuat vero quam plurimum naturæ compositæ moderatio, ipsumque Temperamentum: quod vel ferocientis naturæ impetus excludit: vel molliores affectionum motus constantia sua frenat & cohibet.

CAP. XI.

*Valetudinem corporis animique sanitatem,
magno presidio esse studioso PERFEC-
TIONIS. Quid Temperamen-
tum, & eius partes.*

7. **C**omponitur namque corpus humanum ex quatuor elementis, vti eleganter Augustinus libro de spiritu & anima describit. *Aug lib de spiritu & anima. ca. 33.* **H**umanum (inquit) corpus ex quatuor elementis compositum est: sed in carne & ossibus maxime terra apparet, propter terrenam soliditatem. *Corpus humanum componi ex quatuor elementis.* Aqua in humoribus, aer continetur in pulmone: idcirco semper in metu est, quia ventilabrum cordis est, ne nimio calore consumatur cor, & dissoluatur. Sedes ignis est in corde: & ideo inferius est latum, & superius acutum, quam formam ignis retinet. Quaedam vis ignea aere temperata à corde ad cerebrum ascendit, tamquam in columnam corporis nostri: ibique purificata & colata, per oculos, aures, nares, ceteraque instrumenta sensuum foras progreditur, & contactu exteriorum formata quinque sensus corporis facit, visum videlicet, auditum, gustum, odoratum, & tactum: qui tangendi sensus ab anteriori parte cerebri ad post-

posteriorem transiens, & inde per ceruicem ac medullam spinæ descendens, per totum corpus diffunditur. Hæc & plura Augustinus, quibus docere nititur, humanum corpus ex quatuor elementis conflare, & singulas partes prædominantis alicuius elementi vim naturamque continere. Et quamuis elementorum formæ in eo reipsa non conspiciantur, virtute tamen continentur: & maxime per principes qualitates, quibus elementa singula operationes suas exercent. Ignis est calidus & siccus: aer eidem vicinior, aliquid de eodem participans, calidus est, & humidus: aqua vicissim humida & frigida: terra denique frigida & sicca. En ergo in vniuersum quatuor principes qualitates, calor, siccitas, humiditas, & frigus. Hæc perraro qualitates vsquequaque, læpius autem quodammodo pares confluent; nempe mediocritate quadam, quæ non vtique indiuidua, verum latitudine de finitibus coercetur, in quorum ambitu mixtio continetur. Hos autem vltra citraque interitus est, atque dissipatio. Quæ itaque intra mediocritatis huius limites incidit principum qualitatum concursio, vt mixtionem, sic & continuo Temperamentum gignit. Est autem Temperamentum, non ipsa mixtio, sed mixtionis ratio: poteritque id earum quæ in mixtis elementis sunt principum qualitatum harmonia & concentus defini. Quocirca Temperamentum concentus quidam est quatuor principum qualitatum ex omnium elementorum permixtione. Harum quatuor naturarum cum æquales vires in vnū coe-

*Qualitates
prima qua-
tuor.*

*Tempera-
mentum
quid.*

rint, & calidi, frigidi, humidi, sicci que pares sint
portiones: temperies illa conficietur, quam Tē-
peratum iustumque Temperamentum dixere,
ceterorum normam & regulam quodcumque
autem ab hoc desciscit, & disparibus inter se ele-
mentorum viribus continetur, intemperatum
immoderatumque appellatur, & intemperies.
In ea dispari copulatione fit, vt vnū reliquis tri-
bus excellat, aut ad summum duo præ aliis, nū-
quam autem tria dominantur.

8. Quia vero de varietate Temperamento-
rum agimus, quæ Deus in singulis molitur: tot-
que Temperamentorum differentiæ sunt, quot
hominum facies: at texam quæ de hac re Ioan-
nes Farnelius, doctissimus medicus, scribit. Cū
quatuor (ait) sint ex quibus Temperamentum
absolute conficitur, singulorum exuperatione
simplices quatuor creantur Temperatura. calida qui-
dem, in qua calor frigori antecellit humoris au-
tem & siccitatis æqualitas est: frigida, in qua fri-
gus vincit & dominatur: humida, cuius humor
primas obtinet: sicca, vbi humore siccitas
potentior est, paribus iis, quæ in altera opposi-
tione sunt, contrariis. Quatuor sunt & coniugata
Temperatura, quæ duorum simplicium exupe-
rantia processerunt, seque extulerunt. Hæ duæ
cum sint oppositiones limitibus quatuor con-
clusæ, neque vnus vtraque extremitas possit
principatum obtinere, fit necessario, vt non plu-
res duabus excellent. Eodem rationis momen-
to fit, vt quamuis sex percenseantur coniugationes, il-
larum tamen quatuor duntaxat possit natura consisse

Lib. 3. de
Temperā.
c. 3. Simpli-
cia qua-
tuor Tem-
peramenta
Calidum.
Frigidum.
Humidum
Siccum.
Coniugata
Tempera-
menta qua-
tuor.
re.

re. Hæ sunt calida & humida, frigida & sicca: calida & sicca, frigida & humida: quas coniugatas aut compositas Temperaturas appellant. Nouem igitur sunt Temperamentorum genera, quæ permixtionum differentiis & proprietates consequuntur. Primum temperatissimum, quod paribus omnium conditionum portionibus, medium possidet. Inter præparata octo. Eorum simplicia quatuor, totidem composita. Temperatissimum, quod est indiuiduum, & omnium expertissimum, quasi punctum intelligitur. Cætera quæ ab hoc recesserunt, longe lateque fusa sunt, neque enim, quæ calida dicimus, omnia pari à mediocritate interuallo distant, neque autem frigida, aut humida, aut sicca vno eodemque ordine sunt. In compositis porro eiuſmodi qualitatum aut par est recessus, aut alias aliam excellit. Etenim calidum siccumque appellamus, siue illa pari suo ordine, siue calidum sicco præstat, siue contra siccum calido. Vnde intelligitur, octo cum sint imparia Temperamenta, vniuscuiusque tamen ex maiore minoreque recessu innumerabilia fieri discrimina, ex quorum proprietatibus, tum similibus partium, tum infinitæ corporum naturæ & proprietates consurgunt atque constant. Hæc ille. Ex quibus omnibus, quid Temperamentum, quotque eius sint genera ac partes, satis euidenter declaratur.

Boni Temperamenti utilitates in ordine

9. Quod eo maxime spectat, ut intelligamus pro cuiusque Temperamenti præstantia cuiusque naturæ conditionem meliorem ac præstantiorem emicare: quod non tantum de vniuersa corporis harmonia, sed & de singulis, ut cerebro, corde, hepate

hepate, cæterisque compositi partibus intelligendum venit. Hinc ille memoria, iste iudicio præstat: hic ingenio celeri, leuiori iudicio: generalis vnus, alius timidus, aridus, tardus, tenax, hebes, & obtusus: qui morbi animi sunt, & defectus grauissimi.

Accedit quod qualitatis alicuius primariæ excessus aut defectus sufficiat ad soluendam harmoniam: quorum altero qui laborat, aduersam valetudinem subinde tota vita sua patitur, morbosque ex vno fonte innumerabiles, qui sæpe ante ætatem cum morte commutantur. Quod ita declarat Augustinus: *Corpus constat ex officialibus membris, officialia ex consimilibus, consimilia ex humoribus, humores ex cibis, cibi ex elementis: & nihil horum est anima. sed in istis tanquam in organo agit, & per hoc corpori consulit, & huic vitæ in qua factus est homo in animam viuentem. Quæ cum temperata & ordinata fuerint, & congruunt viuificationi, numquam recedit anima: si vero distemperata & confusa fuerint, inuita recedit anima, secum trahens omnia, sensum, imaginationem, rationem, intellectum, intelligentiam, concupiscibilitatem, & irascibilitatem. Hanc harmoniæ inæqualitatem aut solutionem, vnde morborum omnium genera orta sunt, attribuunt Poetæ Pandoræ cui cum à Ioue pyxis cum omnibus morbis inclusis commissa fuisset, ea aperta, infinitæ illæ morborum quos experimur, & aliorum species in orbem inuictæ sparseque sunt. Nos Pandoram Euam vel Adamum arbitramur, cui Deo natu a integrâ largitus fuerat, & si ea clausa*

ad Perfectionis studium.

1.

2.

Morborum origo.

Lib. de spiritu & anima, c. 15.

Poetarum opinio de origine morborum.

Natalis Comæ Myologia lib. 4. cap. 6.

cum

cum gratia originali à transgressione illæ facta mansisset, nõ ex pestes, morbi innumerabiles, mori denique in orbem inducta fuissent. Hinc Temperamentum magnam cladem passum, totaque corporis fabrica succussionem ingentem accepit: pauci sunt qui non illico intereant: plurimi qui diutissime laborant: qui optime habeant, perpaucos reperies.

3. *Utilitas
boni Temperamenti
sanitas.
Eius commendatio.*

10. Cæterum nemo prosperæ valetudinis præderat pretium nisi qui morbis exercetur: & inter summa naturæ beneficia hoc vnum tantum esse debet, vt ex hoc tota vitæ degendæ recteque agendi ratio dependeat. Quid aget, qui vel capite, vel pectore, aut stomachi intemperie, vel hepatis, laborat? Omitto morborum genera contagiosa, anginam item, ardentis febres, lethargum, paralyfim, catelypsim, apoplexiam, pleuritidem, stranguriam, & si quæ aliæ sint vel letales vel intolerabiles corporis humani affectiones: vnus solius dentis dolor, aut extremi digiti affecti sensus, sic mentem animumque totum hominis rapit, vt nec legere, nec cogitare, nec vlli rei intendere lubeat: omnes hominis vires & sensus in hoc coeunt, vt dolor pellatur: sin minus, illic hæret cogitatio, mens, oculi, manus, & quidquid in homine est. Magnus thesaurus est sanitatis. Ideo Sapiens, *Melior est, ait, pauper sanus, & fortis viribus: quam diues imbecillus, & flagellatus malitia.* Ecquid enim proderunt ei diuitiæ, si eis nec ad splendorem, nec ad luxum, nec ad ciborum delectationem vti, per valetudinē, possit? Pauper vero frusto panis ac frigida

facia-

fatiatus in lætitiã profilit, vtiliter laborat, & virium suarum fructum percipit. Hinc Salomõ, *Dulcedo, inquit, animæ, sanitas ossium*: sicut etiam *Prova. 16.* acerbitas animæ infirmitas ossium. Non est dolor super ossium dolores: quibus afflictis, nec stare, nec iacere cuiquam fas est. Dicam amplius cum Ecclesiastico: *Melior est mors, quam vita amara: & requies eterna, quam languor per seuerans.* *Eccle. 30.*

II. In pœnam peccatorum veniunt illa quidẽ & nobis repugnantibus; sed obnoxia corpora nostra infinitis ægrotationibus, varia ex illis tormenta sustinere coguntur: licet, si possint, iubeantur ea propellere. *Da locum medico, ait Ecclesiasticus; etenim illum Dominus creauit: & non discedat à te, quia opera eius sunt necessaria.* *Eccle. 35.* Item: *Honora medicum propter necessitatem: etenim illum creauit Altissimus: A Deo est enim omnis medela.* *Ibidem.* Et: *Altissimus creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. Nonne à ligno indulcata est aqua amara? Unguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanitatis.* *Ibidem.* His conficitur, malum esse quoddam & pœnam, animi corporisque ægritudines; Deoque auctore esse propulsandas: quod ingentia bona impediunt, quæ quisque vel Deo deferret, vel sibi vel bono communi impenderet sanus & valens. Hinc Christus (auctore D. Thoma) etsi admiserit omnes defectus naturales corporis totius naturæ humanæ communes, vt sũt fames, sitis, dolores, mors quos Damascenus vocat naturales & indetrectabiles passiones; nullũ tamen morbũ assũpsit *Christum morbos nõ assumpsisse cum humana natura D. Thom. 3. p. 9. 14. 3. & 4.*

I nec

nec aliquem defectum omni homini non communem : quia hi non conducebant ad redemptionem generis humani, imo impediissent plurimum. Indecens enim fuisset, Redemptorem hominum esse claudum, cæcū, obstipum, aut leprosum morboe comitiali, aut tabe seu pulmonum ulceratione deformari : sicut & defectibus aliis qui repugnant scientiæ & gratiæ, ut sunt ignorantia, pronitas ad malum, difficultas ad bonū. Accedit quod ægros sanaturus venerat : illic quo fuisset exprobratum, Medice, cura te ipsum. Quo suo exemplo ostendit, sanitatem bonam esse peroptandum, studioseque procurandam ac conservandam, ad functiones, quas ipse, Apostoli, aliique qui de aliis bene mereri possunt, ac studio PERFECTIONIS incumbere, ex instituto susceperunt, exequendas.

*Morborum
incommoda.*

Hinc omnibus Religionum Patriarchis summa ac prima cura fuit, in Regula statuere, ut infirmorum habeatur ratio maxima, quia Ordinis officia sine sanitate exerceri nequeunt : sed dum morbo laborant, alios substitui, qui eorum munia obeant : imo vero, cum communitate seruire ipsi debeant, aliquot alios, qui eis deserviant, nō sine ordinis domestici incommodum constitui necesse est : quod etsi graue non sit ac breve tempus, graue tamen esse, si plures, & quidem diutius, detineantur ægritudine, nemo est qui non videat. Quid Ecclesiæ utilitatis accessisset, si Apostoli, Apostolicique viri, podagra detenti domi, totos Apostolici muneris annos consumpsissent? Quid si Ecclesiastici Politici

ciue Superiores lectis affigantur, quæ negotio-
rum executio? quod regimen publicæ rei? quis
ius dicet? quis nefarios scelere prohibebit? quis
innocentes tuebitur? quis de diuinis rebus ver-
ba faciet? quis ignorantes docebit? quis Sacra-
mentorum administrationi vacabit? & si infirmi
sint vulgares, qua occasione docebuntur? quis
eos male agentes corripiet? qui ad PERFECTIO-
NEM promouebuntur?

12. Ne fallamini insipientes corde, pœniten-
tiæ tempus in extrema vitæ reiicientes; quasi
tunc in manu vestra futurum sit, vt misericordiã
Dei sagientem assequamini, & prætermittas be-
ne gerendi occasiones resarciatis feruoris abun-
dantia. Ne fallamini: Deum hoc est tentare.
Quæritis miraculum vbi necesse non est: vt e-
nim gratiam tibi apud Deum concilies, promē-
dæ lacrymæ lunt, intimo & extremo dolore,
inconcusso bene viuendi proposito: opus est i-
gne, flammis, incendio, ad tot turpitudines vi-
tæ præteritæ consumendas; opus lacrymarum
flumine, contritione instar ingentis Oceani,
ad tot maculas eluendas: opus oratione, ac de-
uotionis sensu, ad Dei gratiam conciliandam.
Vbi hæc omnia reperies? venient è cælo? non
venient; nam & tu meritis id non es: & ex te ea
prouocare non poteris: quia ad hoc natura eo-
rerum statu non est idonea: & tibi tunc cogitan-
dum de bonorum dispositione, de prole, de sa-
nitate. Quid? si minima in oculo stipula sic te
cruciat, vt nec dormire, nec de tuis rebus cogi-
tare, nec quidquam agere valeas: quid sperandū

tibi est cum dolorum segetes, angustiarum tor-
rentes, afflictionum gurgites, & flumina tenta-
tionum animū tuū occupabunt? Solent simpli-
ciores, cum audiunt Prælatum aliquem magni
nominis, aut Concionatorem excellentē, aliūve
opinione sanctitatis florentem infirmari, de il-
lo ita statuere: O beatum virū! à Deo amici Dei
visitantur; & huius quanta patientia! quam ar-
denter Dei conspectum desiderat! quam im-
mensa orationum in cælos tela detorquet! quas
flammas emittit! haud dubie eius in cælo tota
conuersatio est: spe ac desiderio Deū videt, Deū
complectitur. Quid cogitatis, insani homines!
& hi mortales sunt: sanctitas præcessisse debu-
it: sani orare potuerunt; non sani, nihil ali-
ud præstare, quam dolores ferre patienter: &
quis adhuc ad hæc idoneus? Non omnes Iobi
non omnes Tobiaë, non omnes Dauides. Lo-
quatur de sãctis hisce aliquis, & quid sentiat vo-
bis renunciēt. Fallimini opinone, viri boni: &
nos mortales sumus, & multis miserijs obnoxij,
Fateor ingenue quod est: orare mihi quidem
adiacet, perficere autem nō valeo: omnia dura,
omnia sicca, sicut terrā sine aqua; caput meum doleo,
caput meum doleo: meditari non possum; obruor
sopore & grauedine: quid agam? premor
vndique doloribus, nihil præterea in mentem
venit; & siquid asciscam, illud illico velut cla-
uus clavis innumeris pellitur. Dum tempus habe-
tis, operamini bonum. Memento, homo, Creatoris tui
in diebus iuuentutis tue, antequā veniat tēpus afflictio-
nis, & oppropinquent anni de quibus dicas, Non mi-
hi

*Vulgi falsa
opinio de
infirmis
sanctis.*

*Psal. 142.
3. Reg. 4.*

Gal. 6.

*Sententia
Ecclesiastæ
de senectū-
te minus*

hi placent : antequam tenebrescat sol, & lumen, & ^{apta Perfa-}
 luna, & stella, & reuertantur nubes post pluuiam; ^{tionis.}
 quando commouebuntur custodes domus, & nuta- ^{Eccl. 12.}
 bunt viri fortissimi, & otiosa erunt molentes in minu-
 to numero, & tenebrescent videntes per foramina,
 & claudent ostia in platea, in humilitate vocis mo-
 lentis, & consurgent ad vocem volucris, & obsur-
 descent omnes filia carminis; excelsa quoque timebunt
 & formidabunt in via, florebit amygdalus, impin-
 guabitur locusta, & dissipabitur capparitis; quoniam i-
 bit homo in domum eternitatis sue, circuibunt in pla-
 tea plangentes : antequam rumpatur funiculus ar-
 genteus, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria
 super fontem, & confringatur rota super cisternam,
 & reuertatur puluis in terram suam, vnde erat, &
 spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Hæc Ecclie-
 siastes. Pluit hæcenus ros de cælo salutaris,
 nubes copiosam gratiæ pluuiam demiserunt. In
 extremis reuertuntur nubes; protectionis au-
 xilijque tempus expirat; quia vti noluiti, dum
 vltro tibi occasiones offerebantur : nunc ad au-
 ctorem suum hæc nubes redeunt. Sol & illustra-
 tiones mentis, exempla Sanctorum, lucere de-
 finunt; Ecclesiæ cessant exhortationes; venit tē-
 pus afflictionis: quid facies? quid orabis? nam
 quid oremus, sicut oportet, nescimus: spiritus autem po- ^{Rom. 8.}
 stulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Sed fla-
 uit spiritus, & fluxerunt aquæ. Et hæc quidem hæ-
 cenus. Fugit Auster surrexit Aquilo: ante fa- ^{Psal. 147.}
 ciem frigoris eius quis sustinebit? appropinquaue- ^{Ibidem.}
 runt anni de quibus dicas, Non mihi placent: tristes
 illi sūt, & incipiūt a senectute, & sensim peiores

Eccle. 9.

appropinquant, cum in fine vitæ, tum in decel-
 fu ex hoc corpore: idcirco Sapiens, *Quodcumque*
ait, facere potest manus tua, instanter operare: quia ne-
opus, ne ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud
inferos, quo tu properas. Illi sane dies sunt qui non
 placent. Quod si viri eximie sanctitatis vix ido-
 nei sunt extremis illis temporibus. vt sese ad Deum
 conuertant, de morte, de iudicio particulari, de
 sententia irreuocabili, de vita præterita, de eter-
 na futura cogitent: quid faciet is, qui imparatus

1. Petri 4.

ad Dei tribunal vocatur? *Si iustus vix saluabitur,*
impius & peccator vbi parebunt? Ex his manifeste
 colligitur, improvide ac stulte etiam eos agere,
 qui salutis ac PERFECTIÖNIS procurandæ
 studium in decliuem ætatem reiciunt: illa e-
 nim quæ in corpore male sano incommoda at-
 que impediméta PERFECTIÖNIS, eadem &
 forte maiora in senili reperiuntur: est enim se-
 netus morbus continuus, & malorum omnium
 congeries, in qua homines solent de sanitate
 seruanda corporis, non animi, cogitare. Ideo
 Spiritus sanctus hortatur nos, *memores sumus*
Creatoris nostri in diebus iuuentutis nostræ. Quo-
 rtaetas non ea sola accipienda est, quæ adolescen-
 tiam sequitur vsque ad virilem, aut (vt medici
 quidam dicunt) vsque ad trigessimum quintum
 annum, sed ad consistentiam ipsam, (vt vo-
 cant) id est, ad annum quadragesimum quin-
 tum, qui est senectutis initium: nam ad hoc
 vsque tempus durant plerisque vires haud qua-
 quam labefactatæ, neque hebescunt sensus, ne-
 que cania abunde proueniunt. Rationes vero, cum

Senectutē

inepte

inepte in id temporis salutis ac PERFECTI-
 onis negotium relinamur, Ecclesiastes multas com-
 memorat : quarum prima est, quam haec-
 tus pertractauimus : nempe ad PERFECTI-
 ONEM acquirendam opus esse viribus
 sanitate, atque alacritate : quibus desideratis,
 (vt persæpe in senibus) alio animus facile abri-
 pitur, & in occurrentium calamitatum expulsio-
 nem totus immergitur : idcirco dicit Ecclesia-
 stes, *Antequam veniat tempus afflictionis, & appropin-*
quent anni de quibus dicas, Non mihi placent. De
 his senibus Ecclesiastes loquitur potissimum,
 qui virtutis stadium numquam ingressi, sese
 vincere, cupiditates domare, virtutum subsidia
 consequi neglexerunt. Hi ætate ingrauescente
 displicent sibi, displicent & aliis, quod morosi,
 quod auari, quod iracundi, quod morbis variis
 oppressi persæpe querantur, sibi graues, aliis mo-
 lesti. Senectutis ergo anni, afflictionis anni sũt
 qui parum placent, & eo maxime displicere de-
 bent, quod minus idonei homines ordinarie
 sint ad ea munia peragenda, quæ florente ætate
 leui labore confici potuerunt. Altera ratio
 est, quod in senectute sensus hominis sensim
 debilitentur, planeque deficient: ideo ait, *Ante-*
quam tenebescat sol, & lumen, & luna, & stella;
 tum etenim visus debilitari incipit, sic vt effu-
 giat lucem, neque lumen sustinere possit, eique
 solis, lunæ, ac siderum splendor obtenebresce-
 re videatur. Deinde, quod ea ætate homines de-
 stillationibus obruantur: ideo sub iugit, *Anteq̃ reuer-*
tatur nubes post pluuia: significat enim hæc verba p-
 petuas

minus esse
 idoneam
 ad Perfe-
 ctionem qua-
 rendam &
 assequenda.
 Ratio. I.

Cic. lib. de
 senectute

NO MBOIUS
 NO MBOIUS
 NO MBOIUS

petuas & admodum incoëtiles lenum coryzas
 quæ ex vaporibus crudis ob defectum caloris e-
 natis, à ventre aut corpore toto ascendentibus,
 primum quidem vt nubes coalescunt, & caput
 velut partem microcosmi supremam, occupant
 deinde densatæ abeunt in destillationes, & vt
 quædam pluuia diffunduntur. Cum ergo affe-
 dus quis conflctatur catarrhis, successiuis vicibus
 nunc citra intermissionem destillantibus,
 nunc recrudescentibus: perinde est ac cum motu
 4. à pluuia aliæ nubes reuertuntur. Quarta ratio
 est, quod alij quoque sensus & mouendi instru-
 menta fatiscant: quod verbis sequentibus indi-
 cat, quando ait, *Commouebuntur custodes domus, &
 nutabunt viri fortissimi.* Sensus corporis custodes
 dicuntur, quod ad custodiam dati sint, vt acce-
 dentibus noxiis, iisque perceptis, animal sibi ca-
 uere possit. *Viri fortissimi* pulchra metaphora
 dicuntur vis motiua cum suis instrumentis, qui-
 bus ad actiones corporales ac translationem ve-
 timur. Commouentur ergo custodes domus, &
 nutant viri fortissimi, cum sensus debilitantur,
 & crura & tibiæ præ corporis pondere vacillant
 nimirum exhaustis spiritibus animalibus, cere-
 broque refrigerato atque exsiccato secundum
 substantiam, multis vero excrementis obru-
 to, necesse est exiguum facultatis influere in
 nervos & sensuum organa, atque ea per sese fie-
 ri inepta, & ad facultatem excipiendam, & ad e-
 sequenda sua munia. Hinc senes facile vacillant,
 5. & scipione vt coguntur. Quinta accedit ratio,
 totius corporis debilitas ex defectu alimenti,
 quod

quod commode ingeri non possit; aut, si ingeratur, id certe vel moleste & sæpe nauseabunde fiat, vel satis comminutum ac mansum non erit: ait enim, *Et otiosa erunt molentes in minuto numero.* Nascimur sine dentibus, & prope sine iis morimur: excidunt enim, & quidem magno hominis damno, ob radices ficcitatem, & alueorum, quibus clauorum more infixi sunt, amplitudinem, quam defectus nutritionis maxillæ & dentium adfert. Molentes, iique in paruo numero, ergo otiantur, quod senes edendi cupiditate immolnuta tenuius edunt: idque ipsis molestum est, quod dentibus careant, quibus cibum mastificent. Addit sextam rationem, de sensibus particularibus visus & auditus, & faciei immutatione. *Tenebescūt. n. videntes perforamina:* hoc est facultas vidēdi per oculos: & *obsurdescūt filia carminis:* hoc est, facultates illæ, quæ carmē & voces excipiunt. His facultatib. deficientibus, vita pæ-
Tobias.
 ne morte acerbior est: hinc Tobias: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli nō video?* De facie vero, *Claudent, inquit, ostia in platea, in humilitate vocis molentis.* Facies platea dicitur humani corporis, quod in ea sensus omnes, vt ostia ad plateam, statuuntur, resideant, & omnis ad sentientem animam negotiatio pertinet, ad eam confluat, omnes denique cordis affectus declaret, prodat lætitiā & dolores,
Eccl. 13
 spem ac timorem. Hinc Sapiens: *Cor hominis immutat faciem illius, siue in bona, siue in mala.* Senibus vero vox est humilis, ob debilitatem facultatis quæ mouet thoracem, quia ad e-

dendam vocem vehementi expiratione opus est. *Claudunt ergo senes ostia in platea, in humilitate vocis molentis* hoc est, ob humilitatem vocis quam expirationis defectus parit & faciunt *remolentes*: inopia namque dentium articulationem pronuntiationem, (quæ magna quoque calamitas est) vehementer impedit. Addamus septimam rationem ex defectu somni, qui facultatibus fatigatis, æque pæne necessarius est ac

7.

cibus. Hoc est quod sequitur, *Et consurgēt ad vultū volucris*. De galli cantu intelligit, qui terminis horis cantare solet, quasi motus cœli rationem habeat, & vigilantiis pro horologio fit. Senes ergo pernegilium patiuntur, ob cerebri siccitatem, & non raro ob dolores assiduos, cum aliarum partium, tum vel maxime viarum urinae, & ob destillationes & excreta: adeo ut illis nulla requies sit, & ad res deinde agendas vires & animus deficiat. Sed quis tandem finis? finis hominis interitus, atque vitæ huius mortalis occasus:

Signa mortis in senibus.

1.

in via: hoc est, mens terrebitur, ubi se homo in

2.

mortem præcipitem ire sentiet. Alterum signum:

Florebit amygdalus. Hæc enim arbor omnium citissime canescit. Canescent ergo caput ac barba, ut florescens amygdalus, redūdantia pituita in alimento proprio partiū circa cutem, propter

3.

debilitatem nativum caloris. Tertium signum:

Impinguabitur locusta. Hoc de marina intellige, quæ testacea crusta tegitur. Crescet ergo callosa durities in cute, quasi locustæ testa fiat.

4.

*Auicenna
li. 2. c. 102.*

Dissipabitur capparitis, quod quartum signum est

Cappa-

Capparis (medicis auctoribus) Veneré instigat. Dissipatur, in morte appetente, potentia appetitusque generandi. Emoriente vero virtute illa, sequitur homini denuntiari quod addit, *Ibit homo in domum eternitatis sue*, siue domus illa felicitatem si siue extremam miseriam contineat: vnusquisque enim à morte recipiet *prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum.* Extincto homine, prodit sepulturæ pompa. Et *circubunt* (inquit) *in platea plangentes.* Sextum mortis indicium est membrorum dissolutio, designata per verba sequentia: *Antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea.* *Funiculus argenteus*, spinalis medulla, ob nervorum, qui ex ea oriuntur, distributionem, funiculus: ob colorem vero, quo imbuitur, argenteus nominatur. *Vitta aurea* alio nomine meninx dicitur: estque tenue cerebri inuolucrum, quod totum cerebrum instar vittæ ambit, constringit, & continet. Aurea dicitur non à colore, sed ab utilitate & pretio. Adhæret indissolubiliter cerebro: quo exsiccato & imminuto, (vt in senibus) contrahitur & corrugatur. Hinc fit vt & cerebrum & meninx à cranio recurrat & seiungatur: arefcitque cerebrum, & præ eius ariditate excidunt pili, vt herbæ arefacta terra, fitque caluitium. Porro ad nervos pertinet sensus volutarius, qui peruadit obitque musculos. Cum laxantur quasi funes disrupti, euenit, mēbra, in quæ subeunt, resolui, ac paralyfim pati, siue linguam, siue brachium, siue crus. Dicit ergo, *Antequam rumpatur funiculus argenteus:*
hoc

Cor. 5.
5.
6.

hoc est, antequam fias paralyticus: & recurra
vitta aurea; & contrahatur meninx cū cerebro
 & fiat caluitium. Vnum super est: *Antequam* (in-
 quit) *conteratur hydria super fontem, & cōfringatur*
rota super cisternam. Hæc ad urinam pertinet: quæ
 primum quidem exit guttatim, quasi ex rupta
 hydria, cum senes laborant stranguria; deinde
 supprimitur omnino, quasi *rota contracta super*
cisternam, fitque ischuria. Tum nihil superest, ni-
 si vt reuertatur puluis in terram suam, & redeat spi-
 ritus ad Deum, qui dedit illum. Hæc Ecclesiastæ in-
 signis concio, quæ appositissimis metaphoris
 nos hortatur ne studium salutis nostræ ac PER-
 FECTIONIS amorem in senectutis tempus diffe-
 ramus, ineptum omnino, nulloque modo ido-
 neum. Sed *memento*, ait, *Creatoris tui*: vt ea facias,
 propter quæ te creauit; & ea complectaris, qui-
 bus ad finem, ad quem te destinauit, peruenias;
 alioqui, si in iuuentute tua Creatoris tui imme-
 mor fueris, contingere poterit, vt nec in senec-
 tute, nec in morte, vel illius vel etiam tui me-
 mor sis. *Percutitur enim* (vt vere Augustinus)
hac animaduersione peccator, vt moriens obliuiscatur
sui, qui, dum viueret, oblitus est Dei.

Serm. 3. de
Innocent
qui est 72.
in append.
de diuersis. 13.
Morbos a-
nimi obef-
se studio
Perfectionis.

13. Venio ad ægritudines animi: qui defectus
 longe ineptiores reddunt homines virtuti ca-
 pefsendæ, quam corporales. Peruersum homi-
 nem ac deuium conuertes ac reduces: sed quid
 ages cum eo qui phrenesi laborat, cōtinuaque
 infania, stultitia mentisque ignauia memoriam
 obliterante. Ab infano, furioso, torpido, ac he-
 bete quid obtinebis? Sunt & alij, qui adeo rudes

des & ignaui sunt, vt iudicium nullum habeant, nihil capiant, nihil recordentur: stupidi vt truncus, fungis insipidiores. Multum est, si hic cognoscant esse vnum Deum, de PERFECTIO-NE nihil prorsus concipiunt: de quibus tamen mantuetissimus Dauid: *Homines & iumenta saluabis, Domine.* Et D. Augustinus, deplorans hanc miseriam, ita scribit D. Hieronymo: *Tam tardi nonnulli sunt, & obliuiosi, vt ne prima quidem discere litterarum elementa potuerint: quidam vero tanta sunt fatuitatis, vt non multum à pecoribus differant, quos moriones vulgo vocant.* Magna ergo ad res gerendas, & ad profectum virtutum, temperati sanique corporis accessio est: thesaurus incomparabilis sanitatis, quo tamquam subiecto fundamento magna Deus in iis, quos illo beneficio dignatur, operatur. Sed hactenus de Temperamentis morbisque: nunc de Complexione ac animi vitiis aliquid dicendum: quod ab instituto nostro alienum non esse, & probat argumentum quod tractamus, & officij mei ratio, cui, Superiorum præscripto, cum rerum spiritualium præfectura, tum infirmorum curandorum prouincia demandata est.

C A P. XII.

Mores animi sequi Temperamentum corporis.

14. **A**lterum quod vehemèter virtutis functionibus suffragatur, est Complexio *Complexio nem bonâ* corporis.

*Psalm. 35.
Epist. 28.
ad Hiero-
nymum,
post mediū.*